

## Coleoptera nova Imperii Rossici

ab A. Starck in Utsch-Dere, descripta.

### 1. *Capnisa Skobelewii* nov. spec. mihi.

*Fortiter oblongo-ovalis, convexa, nigra, nitida, tarsis anten-*  
*narumque apicibus piceis; thorace lato quam longo, ad partem*  
*anticam parum angustato, dense punctato; elytris oblongo-ovatis,*  
*ad posticum fortiter dilatatis, ad apices angustatis, lenissimis*  
*punctulis impressis. Long. 8.5 mm, lat. ad humeros 3.5 mm,*  
*latitudo maxima 4.5 mm.*

Inter *Capnisam Carelini* Fld. et *C. ellipticam* Mén. locari potest. A priore argute distat elytris ad posticum fortiter dilatatis, ab altera elytris punctatis. Capite gaudet parvo densis punctis impressis, cum *C. Carelini* elytra elliptica et caput undique laeve praebat. Quae puncta ad superiorem partem densius et acerius, ad inferiorem varius ac lenius impressa sunt. Caveis ocularibus profundis dense punctatis, a fronte divisus carina, ad quam a frontis parte aliquot rugis directe impressis. Capite subtus pariter, ac labris mandibulisque dense acuteque punctatis. Thorace magis lato quam longo; marginibus parallelis, a medio autem paulatim ad apicem angustatis; limbo parvulo thoracem circumdantibus lateribus externis magis lato quam internis. Thoracis angulis posticis rectis, anticis parum exacutis. Thorace undique aequale acute punctato, spatiis inter puncta laevibus. Elytris oblongo-ovatis, convexis, ad posticum fortiter dilatatis, ut maxima latitudo ab antico duplo majore spatio quam a postico distet, postea paulatim ad apices angustatis, ipsis apicibus leniter productis. Elytris passim lenissimis punctulis vix ut maxima amplificatione conspici possint impressis. Prosterno ac mesothorace acute punctatis. Abdominis segmento primo subtus perspicue punctato, posterioribus leniter punctatis. Abdominis segmenti tertii partibus externis proxime duabus caveis oblongis, marginibus parallelis, impressis. Femoribus crebre, tibiis rarius sed acute punctatis. Antennarum et palporum apicibus, coxis tarsisque piceis. Circumcaesura ab thoracis angulo antico usque ad elytrorum apices curvam praebet inaequalem curvamine magno ad thoracis basim, quo notaculo illae ambae species carent.

Habitat in Achal-Tekke.

Unicum individuum hujus novae speciei a fratre meo capitano Nicolao Starcko die 16. Junio mense anno 1880 in Codsch in Achal-Tekke captum est, cum Adjutor ille Castrorum summus Skobelew expeditionem contra rebelles Tekkenses faceret. Cujus ducis illustrissimi praemature mortui in honorem speciem hanc novam *Skobelewii* nominandam puto.

Unicum hoc exemplarium in collectione illustrissimi viri Edmondi Reitter invenitur, cui laus gratiaque tribuenda est, quod me ad eam speciem perserutandam attentum fecerit.

## 2. *Phyllobius Ballionis* nov. spec. mihi.

*Oblongo-ovalis, angustus, parum nitidus, castaneus, magis albo-pilosus; pedibus antennisque testaceis; rostro cylindriformi, medio fortiter crassato; antennarum articulo tertio parum longiore quam secundo; thorace subrotundato, in medio evidenter carinato, rugoso-punctato; elytris oblongo-ovatis, regulariter punctato-striatis; striarum intervallis rugoso-punctatis.* Long. 3·5 mm, lat. prope 1 mm.

*Phyllobio contempto* Stev. similis, multo autem minor et angustior; pilis magis variis ac brevioribus. Capite nigro-castaneo, producto, crebre rugoso-punctato, pilis argenteo-prasinis obtecto; inter oculos rotundos prominentes fortiter cavea satis profunda impressa, quae cavea canaliculo similis per totum rostrum propagatur inter duas carinas exiguae; rostro crasso, brevi, cylindrico, medio fortiter incrassato, ab antennarum basi deorsum decurvato, rara brevique pilositate obtecto, antennarum basibus in caveis valde profundis haerentibus. Antennis longis, subtilibus, testaceis, articulo primo ad apicem leniter decurvato, ipso apice clavaque fuscis; funiculi articulo secundo longiore parum, quam primo; septem articulorum funiculi apicibus breviter setosis. Thorace quam caput magis albo, rotundato, in medio maxime lato, margine postico latiore quam antico, medio carinato, undique crebre rugoso-punctato, rarissimis albis pilis obtecto. Scutello albis pilis crebre obtecto. Elytris oblongis, leniter ovatis, thorace parum magis albis septem regularibus quadrangulorum punctorum seriebus impressis. Serierum intervallis rugoso-punctatis et rara pilositate obtectis. Corpus inferius leniter punctatum, pilosum. Pedibus testaceis, femorum apicibus nigro-testaceis; ipsis femoribus ad apices fortiter incrassatis dente apicem quemque terminante; tibiis quoque dentibus non parvis terminantibus introrsum versis.

Habitat in Caucaso occidentali.

Unicum ♂ individuum die 21. Aprili mense anno 1878 apud urbem Novorossijsk a me lectum est nunc in honorem professoris illustrissimi Ernesti Ballionis, quo magistro in re entomologica usus, maximas ei gratias debeo, nominavi *Phyllobium Ballionis*.

3. *Rhynchites parellinus* Gyll. var. nova **fallax** mihi.

Coeruleus aut viridis, nitidus. Corpore toto supra raris longisque infra densis brevioribusque pilis nigris obtecto. Habitu communi *Rhynchiti parellino* similis, distat autem crassiore et breviore rostro, cuius longitudo minor, quam capitis thorace addito. Long., rostro excepto, 4—5 mm, lat. ad humeros 2—3 mm.

Haec varietas mensibus Aprili et Majo annis 1874—78 apud Novorossijsk urbem a me collecta est.

### Tres novae varietates Carabitarum in Caucaso occidentali

repertae ab Alexandro Starck in Utsch-Dere ab eoque descriptae.

1. *Cechenus Boeberi* Ad. var. nova **Heydenianus** mihi.

Habitu generali *Cecheno Boeberi* vero similis; supra niger aut nigro - viridis, elytrorum thoracisque margine viridi, tenuibus punctis in elytris tribus seriebus regularibus impressis; femora, apicibus exceptis, coxae trochanteresque rufa, antennarum articuli primi, tres sequentes medii et apices ultimorum articulorum palporum eodem colore gaudent. Long. 17 mm.

Nonnulla exemplaria hujus varietatis mense Julio 1888 anni a me in monte Dsitaku, Caucasi occidentalis, in altitudine prope novem millia pedum sunt reperta.

Varietatem hanc illustrissimo viro L. de Heyden dedico.

Unum exemplarium museo caesareo Viennensi tradidi.

2. *Neoplectes Riedeli* Mén. var. nova **convallium** mihi.

Iam anno 1879 ac insequentibus in convallibus Utsch-Dere nonnulla splendida exemplaria *Plectis* cuiusdam cepi, quae ab illustr. de Heyden ut *cupreus* Chaud. determinata sunt (vide Wiener Entom. Ztg. IV, 1885, pag. 189). Iam illustrissimus ille Heyden haec exemplaria colore esse diverso notavit, quam illa a Chaudoir descripta. Postea illustris Custos - adjunctus musei caesar. Viennensis dom. Gangl-

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1889

Band/Volume: [8](#)

Autor(en)/Author(s): Starck Alexandro (=Alexander) Eduard von

Artikel/Article: [Coleoptera nova Imperii Rossici. 53-55](#)